



*36a*

E libris  
gymnasio Mauritano Magdeburgensi  
a venerabili  
**Carolo Funk**  
theol. doctore et gymnasii direttore  
a. 1857 hereditate relictis.

*G. f. 171.*





57

VOTIVI PLAVSVS  
SERENISSIMO PRINCIPI  
AC DOMINO  
DOMINO  
FRIDERICO III.

DVCI SAXONIAE  
IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGRIAE  
ET WESTPHALIAE  
LANDGRAFIO THVRINGIAE  
MARCHIONI MISNIAE  
PRINCIPIS DIGNITATE COMITI HENNEBERGIAE  
COMITI MARCAE ET RAVENSBERGI  
DYNASTAE RAVENSTEINI ET TONNAE  
DOMINO NOSTRO AC PATRI PATRIAE  
LONGE CLEMENTISSIMO

CVM  
IDIBVS NOVEMBRIS A. R. S. CIO MDCC XXXII  
FELICISSIMIS AVSPICIIS

SOLLEMNI  
PIETATIS SACRAMENTO  
SVOS SIBI ORDINES CIVESQVE  
OBSTRINGERET

QVA PAR EST DEVOTI ANIMI SVBMISSIONE  
NVNCVPATI

AB  
ILLVSTRIS GYMNASII GOTHANI  
RECTORE PROFESSORIBVS ET COLLEGIS.

---

EX OFFICINA REYHERIANA.

AK



# INCLITE DVX,

INTER FRIDERICOS TERTIE  
CELSOS,  
SAXONICAE TELLVRIS HONOS, STIRPIS-  
QVE BEATAE  
GERMEN TER FELIX, in quo decora alta PAREN-  
TVM,

Virtutesque, orbis quas demiratur, AVORVM  
Resplendent, spondentque TVIS fausta omnia terris,  
En quantos TVA GOTHA ciet laeto omine plausus,  
Quantis cunctorum saliunt praecordia votis,  
Quam pronis animis, quanto certamine amorum,  
Quam sancta pietate TIBI tot millia iunctim  
Obstringunt iurata fidem, PATRIAEQVE PARENTI,  
ET DOMINO AVGVSTO, felicia faecla daturō,  
Obsequio totos humili se addicere gaudent!

Et merito hoc feruet tanto TVA GOTHA tumultu,  
Laetitia et iusta voces ad sidera iactat,  
Ardentesque suos, dum lucent ignibus aedes  
Artifici pictis studio, declarat amores.  
Non etenim haec solum, fuerat quae summa potestas  
PATRIS ter mitis, supera iam sede recepti,  
In TE legitime transit; sed amabile PATRIS

No-



Nomen, & illa ardens, quae tollit ad aethera, virtus,  
Et placidus Charitum comitatus, & ora ferenum,  
Nubila qui pellit, repraesentantia solem,  
Quidquid & haud stupidas vinclo trahit illice mentes,  
In TE mirifice fulget. Nil ergo coactus,  
Nil tristis, TVVS, O POPVLI MITISSIME PASTOR,  
Grex offert, tribuitque TIBI, sed cuncta lubenti  
Corde sacrat, quae prona fides, pietasque requirunt.  
Nec, quae iam scandunt super aethera, & agmine facto  
Irrumpunt, referantque domum & penetrare salutis,  
Optato flammata carebunt pondere vota;  
Haec quorum summa est: feros o Rector olympi,  
TE moderante, tuo & tutanti Numine, felix  
DVX CELSVS PATRIAEQVE PATER FRIDERICVS in  
annos

Floreat, & fausta populos in pace gubernet!  
Atque DVCIS CONIVNX, AVGVSTARVM AEMVLA MATRVM,  
Delicias populisque ferat, DOMVIQVE POTENTI!  
Quae magnos reddunt, & terque quaterque beatos,  
Atque salutare, felicitatis instar,  
Terrarum dominos, nostri cumulentur in aula  
PRINCIPIS, aeternis cumulent & honoribus ipsum!  
Religio, pietasque, parens foecunda bonorum,  
Quam PIVS ERNESTVS, quamque ERNESTINA PROPAGO  
In ditone sua, quasi tuta in sede locarunt,  
Perpetuo niteat, nullis fuscanda tenebris,  
Atque his conciliet caelestia munera terris!  
Aurea pax vigeat, sancta huic Themis oscula figat,  
Cuique suum tribuens; bona diuite copia cornu  
Haereat indiuisa comes, ditetque colonos,  
Oppidaque, & cunctis prosperrima tempora praestet!  
Au-



Aufugiant malefuada fames, & turpis egestas,  
Et luxus populator opum, & vaefana libido,  
Et quidquid, peccando in publica commoda, dulci  
Communis patriae rapit incrementa salutis!  
At quaecumque beant aulas, fora, templa, lycea,  
Priuorumque domos, teneraeque examina pubis,  
Et vitam, prisco candore, fideque suauem  
Efficiunt, DV CIS haec FRIDERICI sedibus altis,  
Et populis donet larga indulgentia caeli!

Haec pro TE fundunt, DVX CLEMENTISSIME,

vota,  
Proque TVIS, reliquos inter TIBI fida facrantes  
Pectora, spem patriae, florem laetabilis aevi  
Artibus ingenuis, & cultu mentis amoeno,  
Quo pietas, virtus, morum decus efflorescit,  
Qui vigili formant aerumnosoque labore.

TV vero, quas saepe hilarasti fronte serena,  
Demisse trepidas, PRINCEPS MITISSIME, Musas  
Semper respicias clemens, tuteris, & ornes:  
Imbelli nam turbae opus est tutamine celfo.  
Et facies, TEque, hac aequans & parte PARENTES,  
SAXONICVM ostendes FRIDERICVM, & saecula Camenis,  
Qua pote, perpetuare voles meliore metallo.  
Hae vero sine fine TVVM super aethera NOMEN  
Laudibus immensis, calamis & voce loquaces,  
Extollent, totumque canent TVA facta per orbem,  
Atque TVAE statuent monumenta perennia famae.



78 M 428

Sign. (188) fehlt bzw.  
koll. nicht vergeben!




Sb.

1077

R.40









VOTIVI PLAVSVS  
 SERENISSIMO PRINCIPI  
 AC DOMINO  
 D O M I N O  
**FRIDERICO III.**  
 DVCI SAXONIAE

IAE MONTIVM ANGRIAE  
 WESTPHALIAE  
 RAFIO THVRINGIAE  
 CHIONI MISNIAE  
 TATE COMITI HENNEBERGIAE  
 RCAE ET RAVENSBERGI  
 AVENSTEINI ET TONNAE  
**RO AC PATRI PATRIAE**  
**CLEMENTISSIMO**

CVM

MBRIS A. R. S. CIO IDCC XXXII  
 CISSIMIS AVSPICIIS  
 SOLLEMNI


**S SACRAMENTO**  
 ORDINES CIVESQVE  
 OBSTRINGERET

DEVOTI ANIMI SVBMISSIONE  
 NVNCVPATI

AB

IS GYMNASII GOTHANI  
 FESSORIBVS ET COLLEGIS.

FFICINA REYHERIANA.



AK